nine sicut vestimento exemplum dedit nobis ut et nos eadem faciamus.
Videlicet siquidem in conflictu lorica ferrea quam stola linea licet omnia illa
sit hec honori. Erit enim et membra sequi tunc caput ut corporis unanimi-
ter uno psallat spiritu et dicat. Conscidisti saccum meum et circumdedisti me leticia.
|| Invenietis inquit infantem pannis involutum et positum in presepio. Et post
paucam. Venerunt ait evangelista festinantes et invenerunt mariam et
ioseph et infantem positum in presepio. Quid est quod sola ab angelo commendari
videtur humilitas nec tamen sola a pastoribus inveniri. Forte specialius com-
mendat angelus humilitatem quam virtutibus ceteris per superbiam ipse in hu-
militate prestitisset. Aut certe propterea celerius annunciatur humilitas quod hec
quasi propria virtus divine exhibenda sit maiestati. Sola tamen non potu-
it inveniri quia semper datur gratia humilibus. Invenerunt ergo mariam et io-
seph et infantem positum in presepio. Sicut enim salvatoris infantia ma-
nifestissime prefert humilitatem sic per virginem continentia. iusticia per io-
seph virum iustum ut enim laus est in evangelio nominatim designatur.
Sane continentia debere conservari quis nesciat. Iusticia vero virtus est quod suum
est cuique tribuens et hec ergo proximos est necessaria. Porro humilitas deo
nos reconciliat deo facit esse subiectos deo placet in nobis sicut ait vir-
go beata respexit deus humilitatem ancille sue. Stultus qui fornicatur peccat
in corpus suum qui iniuriosus est in proximum qui extollitur et inflatur in deum.
Fornicatio semetipsum dehonestat. Iniuriosus molestat proximum. elatus
quantum in se est deum inhonorat. Gloriam meam ait deus alteri non dabo. Et superbus.
ego inquit non enim licet non dabo usurpabo. Hec enim placet et ange-
licam distributio dans gloriam deo pacem hominibus. Non ergo colit deum sed
adversus deum extollitur impius plane et infidelis. Que enim pietas nisi
cultus dei. Quis vero deum colit nisi qui devotione est subiectus est et sicut
oculi servorum in manibus dominorum suorum sic oculi cordis sui ad dominum deum suum.
|| Ut ergo inveniatur semper in nobis maria et ioseph et infans positus in
presepio sobrie et iuste et pie vivamus in hoc seculo. Propter hoc enim ap-
paruit gratia dei erudiens nos ut abnegantes impietatem et per hec
quoque gloria illius apparebit. Sic enim habes. Apparuit gratia dei omnibus hominibus
erudiens nos ut abnegantes omnem impietatem et secularia desideria so-
brie et iuste et pie vivamus in hoc seculo expectantes beatam spem et
adventum glorie magni dei. Apparuit in parvulo gratia dei ad erudicionem et
hic erit magnus sicut de eo gabriel locutus est. et quos parvulus e-
rudierit ad humilitatem cordis et mansuetudinem magnificabit post-
modum et glorificabit magnus et gloriosus adveniens ihesus christus dominus no-
ster. || In festivitatibus sancti stephani sancti iohannis et sanctorum innocentium sermo.
Benedictus qui venit in nomine domini deus dominus et illuxit nobis. Be-
nedictum nomen glorie eius quod est sanctum. Neque enim ociose venit
quod ex maria natum est sed copiose diffudit nomen et gratiam

sanctitatis. Nimirum inde Stephanus sanctus, inde Johannes sanctus, inde sancti in-
nocentes. Utili proinde dispositione triplex ista solempnitas natale domini co-
mitatur ut non modo inter contiguas solempnitates devotio continua perseveret sed
et fructus dominice nativitatis exinde nobis velut ex quadam consecutione e-
videncius innotescat. Siquidem advertere est in hiis tribus solempnitatibus
triplicem quandam speciem sanctitatis nec facile preter hec tria sanctorum genera
quartum aliud in hominibus posse arbitror inveniri. Habemus in beato Ste-
phano martirii simul et opus et voluntatem. Habemus solam voluntatem
in beato Johanne. Solum in beatis innocentibus opus. Biberunt hii omnes calicem sa-
lutaris aut corpore simul aut spiritu aut solo spiritu aut corpore solo. Calicem
quidem meum bibetis ait dominus Jacobo et Johanni nec dubium quin de passi-
onis calice loqueretur. Denique cum Petro diceret: Sequere me, evidenter
cum admonitione provocavit passionis; sed conversus ille vidit discipu-
lum quem diligebat Jhesus sequentem non tam gressu corporis quam prompte
devotionis affectu. Et bibit ergo Johannes calicem salutaris et secutus est
dominum sicut Petrus, etsi non omnino sicut Petrus. Quod enim sic mansit ut non
etiam passione corporea dominum sequeretur divini fuit consilii sicut ipse ait:
Sic eum volo manere donec veniam. Ac si diceret: Vult quidem et ipse se-
qui, sed ego sic eum volo manere. Jam vero de innocentum coronis quis dubi-
tat? Ille pro Christo trucidatos infantes dubitet inter martires corona-
ri qui regeneratos in Christo non credit inter adoptionis filios inveniri. Alioquin
quomodo coevos sibi pueros puer ille qui nobis natus est propter se pate-
retur occidi, quod utique solo nutu poterat prohibere, nisi melius eis aliquid pro-
videret, ut quemadmodum ceteris infantibus tunc quidem circumcisio, nunc vero
baptismus sine ullo proprie voluntatis usu sufficit ad salutem, sic nichilo-
minus susceptum pro eo martirium illis sufficeret ad sanctitatem. Si queris
eorum apud Christum merita ut coronentur, quere et apud Herodem crimina
ut trucidarentur. An forte minor pietas Christi quam Herodis impietas, ut ille
quidem potuerit innoxios neci dare, Christus non potuerit propter se occisos
coronare? ‖ Sit ergo Stephanus martir apud homines, cuius voluntaria
passio evidentissime apparuit, eo vel maxime quod ipso mortis articulo pro perse-
cutoribus quam pro seipso sollicitudinem gereret, amplior vinceret in eo spiri-
tus corporee passionis natura compassionis affectus, ut illorum magis scelera
quam sua vulnera plangeret. Sit Johannes apud angelos martir, quibus
tamquam spiritualibus creaturis spiritualia devotionis eius signa certius innotu-
erunt. Ceterum innocentes hii sunt plane martires tui, deus, ut in quibus nec
homo nec angelus meritum invenit, singularis tue prerogativa gratie
evidencius commendetur. Ex ore infancium et lactencium perfecisti laudem. Glo-
ria in excelsis deo angeli dicunt, et in terra pax hominibus bone voluntatis.
Magna quidem, sed audeo dicere necdum perfecta laus, donec veniret qui
diceret: Sinite parvulos venire ad me quia talium est regnum celorum, et pax

hominibus etiam sine voluntatis usu in sacramento pietatis. Consideret hec qui de voluntate et opere contentiosis solent disputationibus rixari. considerent et advertant neutrum negligi oportere ubi non videtur deesse facultas perfectum cum utrumque sit, alioquin ubi tamen facultas deest etiam non modo salutem conferre posset sed sanctitatem. Sed et hoc quoque firmiter teneant quod possit prodesse quandoque opus sine voluntate non autem contra voluntatem ut videlicet salventur infantes inde magis dampnandi si forte accederent. Nichilominus sane in quibusdam voluntas sine opere sufficiens non autem contra opus invenitur quis in bona voluntate sed necdum perfecta necdum plenam martirium sustinere. Quis illi audeat propter imperfectionem negare salutem. Forte enim propterea non sinitur in illam graviorem temptationem venire ne deficiat et dampnetur. Nunquid si in hac tam infirma voluntate induceretur in eam que supra posita est temptationem nec voluntas invenitur quis illum dubitet defecturum et negaturum et si in eo mori contigerit etiam dampnandum. qui enim erubuerit me coram hominibus erubescam et ego eum ait dominus coram angelis dei. In ea igitur imperfecta voluntate in qua salvatur ubi deest facultas operis non tamen posset salvari propter defectum operis vel opus defectionis. Idem vero et in ignorancia posset accidere. Eundem providet caritate et sectemur bona opera faciamus nec infirmitatis nec ignorantie peccata ullo modo parvipendentes. Magis autem sollicite et timorati agamus gratias benignissimo et largissimo salvatori qui humane salutis occasiones tam copiosa caritate providit ut in hiis voluntate et opus in hiis sine opere voluntate in hiis etiam sine voluntate opus salutis inveniri iubet qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem sui venire. Hec est enim vita eterna ut cognoscant patrem verum deum et quem misit Ihesum Christum qui vivit cum eo verus est deus super omnia benedictus in secula amen. ||

Sermo de Circumcisione domini et nominibus eius.

Postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer vocatum est nomen eius Ihesus. Ubi vero deus modum accepit et nichil umquam immoderatum illi placuit equitati. Hinc fuit quod omnia in pondere et mensura et in modo condidit universa. Sed et ipsi homini protinus modum prefixit mandatum contulit dicens. Ex omni ligno paradysi comedes de ligno autem scientie boni et mali ne comedas. Levissimum plane mandatum et largam omnino mensuram. Sed transgressus est homo prefixum sibi modum et constitutum sibi terminum pretergressus unde et avertit ab eo faciem suam deus. Vix tandem in diebus abrahe amici sui plurimis fieri incipiens rursum modum instituit promulgavit legem sed non prioris sobriam utique quamquam. Ea siquidem ad cautelam fuerat hec ad medelam. Illa prohibitio facta ne superfluitas subintraret hec tamen circumcisio est ut sacramento remedio que subintraverant tollerentur. Postremo illa quidem in arbore data est ne fructu eius vesceretur hec